

P. VERGILI MARONIS

asper in ore sapor; tonsis in uallibus illum  
 pastores et curua legunt prope flumina Mellae.  
 huius odorato radices incoque Baccho  
 pabulaque in foribus plenis appone canistris. 280

Sed si quem proles subito defecerit omnis  
 nec genus unde nouae stirpis reuocetur habebit,  
 tempus et Arcadii memoranda inuenta magistri  
 pandere, quoque modo caesis iam saepe iuuenis  
 insincerus apes tulerit cruor. altius omnem 285  
 expediam prima repetens ab origine famam.  
 nam qua Pellaei gens fortunata Canopi  
 accolit effuso stagnantem flumine Nilum  
 et circum pictis uehitur sua rura phaselis,  
 quaque pharetratae uicinia Persidis urget, 290  
 et diuersa ruens septem discurrit in ora 292  
 usque coloratis amnis deuexus ab Indis, 293  
 et uiridem Aegyptum nigra fecundat harena, 291  
 omnis in hac certam regio iacit arte salutem.  
 exiguus primum atque ipsos contractus in usus 295  
 eligitur locus; hunc angustique imbrice tecti  
 parietibusque premunt artis, et quattuor addunt,  
 quattuor a uentis obliqua luce fenestras.  
 tum uitulus bima curuans iam cornua fronte  
 quaeritur; huic geminae nares et spiritus oris 300  
 multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto  
 tunsam per integram soluuntur uiscera pellem.  
 sic positum in clauso linqunt et ramea costis  
 subiciunt fragmenta, thymum casiasque recentis.  
 hoc geritur Zephyris primum impellentibus undas, 305  
 ante nouis rubeant quam prata coloribus, ante  
 garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.